

AKL. 239 21.

EPITHALAMION,  
VIR O CL. PR VDEN-  
TIA, DOCTRINA, VIRTU-  
TE, ET DIGNITATE PRÆSTANTI,  
GEORGIO CRACOVIO, I. V. Doctori,  
Illustrissimo Electori Saxoniæ, Duci Au-  
gusto &c. à consilijs:

Scriptum

ad

JOHANN E MAIORE  
Ioachimo.



WITEBERGÆ  
IN OFFICINA LAUREN-  
tij Schwenck.

1566.





EPITHALAMION,  
VIRO CL. PRVDEN-  
TIA, DOCTRINA, VIRTU-  
TE, ET DIGNITATE PRÆSTANTI,  
GEORGIO CRACOVIO, I. V. Doctori,  
Illustrissimo Electori Saxoniæ, Duci Au-  
gusto &c. à consilijs.

VOs mihi quæ veteris quondam connubia Cadmi  
 Præsentes resono decorastis carmine Musæ  
 Ferte pedem, & tales iterum concedite cantus.  
 Ille notis primus fragilem signare papyrus  
 Instituit Graiūm populos, ærisq; metalla  
 Excudit venis, socios cui fortè laborum  
 Noxius infecit vapor imis excitus antris,  
 Exemplo torti surgens Typhonis in auras,  
 Et quales hydræ rapido dant corpore tortus.  
 Ignaris igitur socijs crassi aëris haustus  
 Perclusitq; vias animæ, & demisit ad Orcum.

Tale igitur carmen cultori pangite vestro  
 Dum fati iterat sancti connubia lecti,  
 Cui partum virtute decus, insigneq; nomen  
 Attribuit gemini vigil experientia iuris,  
 Consultusq; regit dictis prudentibus aulam  
 Augusti Ducis, & secreta negocia curat.  
 Marte potens quo se Pomerania iactat alumno

Aij Cui

Cui dederit cunas, cui det decus ille vicissim  
Ceu flori succum terra, & flos lumina terræ.

Vestrum opus ô Musæ cælo quia ducitis ortū,  
Cælestū leges canere, & laudare merentes  
Qui parere Deo, & castè traducere vitam  
Duxerunt summum esse bonum, cultumq; placentem.  
Præsentes nam sæpè pios inuisere cætus,  
Et sanctos ornare thoros, & munera ferre,  
Cælicolæ, casta maiorum ætate, solebant.

Fama refert, obijisse Deos connubia Pelei,  
Alcidæq; thorum numero inuisisse frequenti.  
Instituisse Deum thalamos, & adesse piorum  
Coniugij, pulcra docuere in imagine Vates.  
Ipsi carminibus testes, quod fædere casto  
Corpora bina iugum pariter venere sub vnum,  
Et casto è thalamo pulcram eduxere iuuentam,  
Cui certus pater, & genitrix cui casta fuisset.  
Nec clàm furtiuis coierunt antè latebris,  
Quàm pia consensu firmassent vincla parentes.

Sed contrà insano mentem inflamatus amore  
Virginis, in templo Veneris clàm fædus inibat  
Hospes Abydenus, cæca dum in nocte per aras  
Dant operam sacrâ, et cultros sanguine tingunt.  
Nexus erat, sed non lustratus lege iugali,  
Non vllæ choream iunctæ instituere puellæ:  
Lectus erat, sed non genialis cantus ad illum,

Nec

Nec *Vates* aliquis celebrauit *sacra cubilis*.  
*Mox dum nocte natat serus freta* (*feruidus illum*  
*Vrget amor.*) *subito tempestas aëta procellis*  
*Miscetur ponto, cùm brachia fortè remittens*  
*Lassa valis, & victa metu, iactatur in alto,*  
*Luctantemq; animam media vomit æquoris vnda.*

*Nam mens casta Deus corda auersata pudorem*  
*In sequitur pænis, dirisq; vtricibus vrget.*  
*Vt cùm fortè negat duras dimittere in aures*  
*Verba Lothi Sodome, sceleratoq; vritur igni:*  
*Ipse λόγος præsens, pænæspectator & auctor*  
*Sulphureas sparsit pluuias, incendia miscens,*  
*Saxaq;, flamarumq; globos deiecit in urbem.*  
*Non igitur vitæ genus hoc à Cecrope cepit,*  
*Qui Venerem incertam, & nulla se lege tenentem*  
*Vnius ad nexus vna cum coniuge vinxit:*  
*Hinc illum Danai regem finxere biformem,*  
*Qui te Drucalion etiam præcesserat ævo.*  
*Sed Deus has sanxit leges, vt bina duorum*  
*Corpora in vnanimi coalescant fædere mentis,*  
*Nec sese illecebris fædent, atq; igne scelsto*  
*Quæ finxit sibi templa Deus, quâ numine Verbi*  
*Maiestas habitet triplex: & lumina spargat*  
*Lux Patris ipse λόγος: vitamq;, & robora fundat*  
*Spiritus, amborum deducens numine numen.*

*Atq; vt noticias Virtutum inseuit in ima*

*A iiij*

*Corda*

Corda Deus, comitesq; iubet scelerum esse sequaces  
Pœnarum species varias, tormentaq; saeuia,  
Ut statuant aliquem esse Deum, pariterq; volent  
Quale Deus numen cœli edat aurea templa:  
Sic & scire cupit mentes decora alta pudoris,  
Et metas posuit generandi, & fædera certa,  
Ne diuinum animal factoris imagine constans  
Nulla lege adeò brutorum more vagetur  
Quocunq; error agat malus, aut maleuada libido  
Immemor ipsa Dei, scriptæq; in pectora legis.  
Hac virtute Deus, stygijq; immunda Tyranni  
Colluuiies discrimin habent, nec conuenit illis.

Hoc tu animo voluens Musis dilecte CRACOVI:  
Iussa, voluntatemq; Dei, sanctumq; cubile  
Turpibus illecebris præfers, vitæq; solutæ,  
Diuinafq; colis leges legum ipse peritus,  
Et tibi te dignam consortem fædere iungis  
Splendida quam domus, & nomen virtute paratum  
Vrbe metallifera sublimem ad sydera tollit,  
Quæq; fidem astringens Christo sub fonte sacrato  
Nomine de Sponsi gaudet Christina vocari,  
Flosq; puellarum forma, morumq; lepore  
Æquales superat, ceu flores maxima florum  
Lilia, ceu stellas inter nitidissimus exit  
Hesperus, aut aurum radians æra omnia vincit.  
Huic pectus regit, & mores inflectit honestos

Spiritus

Spiritus, & sancto ciet intima pectora motu,  
 Prælucetq; Fides factis, quæ sanguine Christi  
 Nixa viam ostendit quæ recta dicit ad astra.  
 Fastus abest forma, petulans lasciuia gestu,  
 Garrulitas lingua, peregrinus luxus ab ore,  
 Moribus asperitas, blandis simulatio dictis.  
 Illi exempla domi fuerant materq;, paterq;  
 Ingenio pollens, & dulci flumine linguae,  
Quem ceu magnanimum venerantur Nestora ciues,  
 In dubijsq; illum poscunt oracula rebus.

Ex illis hausit pietatis semina veræ  
 Primo lacte statim, rectèq; in vota vocare  
 Edidicit cœli dominum, rerumq; parentem  
 Christe tuis meritis innixa, sacroq; crux.

Quanta igitur rursum surget tibi fama Georgi  
 Coniugio tali, quanta intercedet amoris  
 Copula, qui nexus, quæ consuetudo, quis ardor?  
 Cum virtute calens pectus per mutua amorem  
 Spiret, & hinc abeat, redeatq; reciproca flama,  
 Perq; affixa labris blanda oscula spiritus alter  
 Corpus in alterius migrat, vehiturq; medullis,  
 Ut duo non duo sint, sed idem iam corpus & unum,  
 Quando in diuersis iam spiritus unus & idem  
 Intus agit, totoq; calens se pectore miscet.

Interdum specie capimur, quæ corpus adumbrat  
 Quid cum viua, loquens, nobis respondet imago

A iiii

Quæ

Quæ nostrum nomen generatim in secla propaget?

Hic modus, hæc in amore fides, docet ardua rerum  
Vestigare animo, & Christi prædiscere amorem.

Namque vicem Sponli gerit, & demissus Olympo  
Inuolat in massam fragilem, & complexibus ambit  
Colla suis, arctèque premit, dehinc oscula libat  
Quæs Flatum ætherium nostros transfundit in artus,  
Qui mox spiritui nostro semiscet, & arcto  
Fædere coniungit, vinclisque tenacibus hæret.  
Et simul is feruens habitat sub pectore nostro  
Qui manet, æternisque tibi compagibus hæret  
Nate Dei, vinclique modo sic necit utrosque.

O dulcis vitæ status, o sacer ardor amantum,  
Si nos tanta doces rerum simulacra sacrarum,  
Solamenque mali tam dulci infædere pingis.

Nam si membra sumus capiti conserta supremo  
Christe tibi, quibus unus inest, & spiritus idem:  
Ecquid amore suo nos dignabitur vñquam,  
Aut medijs impunè malis sua membra relinquet  
Auxilio cassa, & stygijs exposta ruinis?  
An massam hanc, sociam massam, quam Numine gestat  
Ipse suo Christus dextræ Patris additus hærens  
Destituet Pater, & tristi non morte reducit,  
Aut in honore pari non secum in regna reponet?

Ergo animum tolle, atque in spes nunc erige tantas,  
Nec dubita quemuis vita tolerare laborem

Si

*Si nos tanta manent venturo præmia seculo.*

*Quicquid honestatis plenum est, & lege probatur,  
Illud idem gratum est, & amoribus omnia compleat.  
Tale genus vitæ est quod iam præclare Cracovi  
Ingrederis, veteremq; nouo solaris amorem,  
Quem tibi mors olim fato dissoluit acerbo.*

*Vt vidua in nudo vitiis quæ nascitur agro  
Nunquam surgit humo, nec mites educat vnuas,  
Sed deiecta solo luget sine pondere ramos:  
Sic cum primus amor raptæ conforte fatiscit,  
Ne quicquam in sterili consumis tempora lecto.*

*Cum primùm sociæ vitiis sese alligat vmo,  
Multi illam decorant generoso in palmite fætus.*

*Sic dum fortè nouos tibi necis denuò amores,  
Multæ tibi proles in multo crescit honore.*

*Gemma velut collo decus est, capitiq; corona,  
Vua rubens viti, vitiis quoq; fertilis horto:  
Sic decus omne suo coniunx est casta marito,  
Quæ iuuat aspectu mæstum, quæ moribus ornat,  
Quæ tactu recreat, quæ suavi voce reducit  
Effugientem animam, & iam iam sub mole labantem.*

*Felices igitur quos fata, Deusq; sub vnum  
Concordes duxere iugum, quos Spiritus vpus  
Vno in amore ligans diuersos efficit vnum.*

*Connexæ manibus Charites, & mutuò amantes  
Pro vestro thalamo concordifædere perstent.*

*Affideat*

*Assideat verò turtur, qui stridula iungens  
Cumpare rostra suo, doceat certare vicissim  
Officijs, & amore pari, curaq; fideli.*

*Desuper immineat quæ tegmina præstet, & vmbram  
Felix innumeris stans Palladis arbor oliuis  
Et pacis simul, & fœundi pignus amoris.*

*Hanc super insidens, viuendi tempora longa  
Significet cornix, & cani Nestoris ænum.*

*Tandem hæc cuncta suis suprà amplexatus ab aliis  
Compingat nexu, & fascem conduceat in vnum  
Spiritus ille sacer rutilo sese aëre librans  
Chaoniæ volucris sub imagine felle parentis,  
Spiritus ille autor consensus, pacis, amoris,  
Iuris, honestatis, decoris, rectiç, boniç,  
Ordinis, officij, successus, lucis, honoris.*

**F I N I S.**





Ha 5650 QK

X 207791


m.6



## Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	Red	Magenta	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	-------	---------	-----	---------	--------	-------	------	------



ALAMION,  
PRUDEN-  
TINA, VIRTU-  
ATE PRÆSTANTI,  
COVIO, I. V. Doctori,  
ri Saxonie, Duci Au-  
c. à consilijs:  
criptum  
à  
E MAIORE  
chimo.



EBERGÆ  
NA LAUREN.  
Schwenck.

6 6,

